Joannem Cordier; pro natione Normannie magistrum Joannem Fressu; pro natione Alamanie magistrum Joannem Scriptoris, quos dicta facultas tanquam benemeritos recepit. Quantum ad 2^{m}, auditis hinc inde partibus, placuit matri mee nationi magistro Joanni de Martiniaco jus tribuere in dicto officio, volens ut manuteneatur et ut verus procurator reputetur. Quantum ad tercium, nullus supplicuit. F[RANCISCUS] BUYSLEYDEN.

[**Jan. 29.,** UNIVERSITAS]. — Anno Domini quo supra, die vero XXIX ejusdem mensis, fuit alma Parisiensis Universitas aput Sanctum Maturinum tribus super articulis convocata. Quorum primus fuit ad audiendum quas nobis dominus noster supremus rex miserat litteras, quibus ut legati confessoris sui domini Abrincensis episcopi dictis fides adhiberetur et eidem crederetur mandavit. Quantum ad presentem, habuit Alamanorum natio ingentes domino nostro regi gratias de suarum litterarum communicatione, credidit et adhibuit fidem Abrincensi episcopo, ut dictus rex dominus noster mandarat. Secundus articulus fuit super rotuli apertione. Quantum ad hunc, placuit rotulum, ut moris est, suo tempore scilicet quadragesimali aperiri et deinde recludi sine ampliore magistrorum convocatione. Tercius fuit super supplicationibus et injuriis. Quantum ad hunc, supplicuit idem dominus Abrincensis episcopus Universitati ut sibi in hiis que rex mandarat assistentiam daret et deputatos de qualibet facultate duos vel tres et de qualibet natione totidem ad corrigendum abusus qui nunc, ut retulit, in dicta Universitate fierent, quapropter ejusdem supposita regi videbantur promotione indigna. Quantum ad hunc, *(Fol. 128ᵇ)* placuit matri mee Alamanorum nationi sibi dare assistentiam et deputatos ad corrigendum abusus, si qui fierent. Et quantum ad hoc, dedit venerabiles viros magistros magistrum Joannem de Hirlandia et magistrum Joannem Scriptoris. Insuper immortales gratias eidem episcopo retulit, qui tantos labores, tantas penas pro bono Universitatis assumere dignatus est. Supplicuit quidam alius Artium magister ac sacre Theologie baccalarius ut sibi Universitas daret assistentiam, citando unum ex Normania quem noster dominus rex defendit ne compareat. Cujus supplicatio fuit admissa.

F[RANCISCUS] BUSLEYDEN.

Continuatio magistri Francisci de Busleyden, dyocesis Treverensis.

[**Feb. 10.,** NATIO]. — Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, die vero decima mensis Februarii, fuit veneranda Almanorum natio aput Sanctum Maturinum super duobus articulis congregata. Quorum primus erat novi procuratoris electionem concernens, aut antiqui continuationem. Et quantum ad hunc, placuit nationi antiquum continuare. 2us fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad hunc, supplicuit dominus procurator haberi gratus, ratus et advoatus et similiter per eum facta grata, rata et advoata. Cujus supplicatio fuit admissa in forma supplicantis. F]RANCISCUS] BUSLEYDEN.

(Fol. 129) [**Mar. 9.,** UNIVERSITAS]. — Anno Domini quo supra, die vero nona mensis Marcii, fuit alma Parisiensis Universitas apud Sanctum Bernardum tribus super articulis convocata. Quorum primus fuit ad audiendum litteras matri Universitati per dominum nostrum supremum regem missas[1], conformiter ad audiendum aliqua ex parte domini nostri regis per dominos supreme curie Parlamenti presidentes referenda, qui quidem eidem nostre matri retulerunt qualiter dominus rex deinceps eos qui Nominales seu Terministe nuncupantur in nostra Universitate pati nollet si viam quam hactenus dogmatisaverunt docere ac publice legere attemptaverint. Insuper retulerunt qualiter dominus noster rex mandarat quod omnes illius vie libri eis presidentibus apportarentur[2] infra decem dies et per doctos viros utramque viam tam realium quam nominalium scientes examinentur. Item quod domi-

nus Bonet *obiit an.* 1497, *Dec.* 12. *Cf.* J. QUICHERAT, Histoire de Sainte Barbe, I, 54-64.

1. *Hae litterae patentes datae fuerunt Silvanecti, an* 1474, *Mar.* 1. *Leguntur apud* BUL., V, 706-710. *Initio hujus anni Johannes Boucart, episcopus Abrincensis, cum auxilio plurimorum magistrorum examinevarat doctrinam Nominalistarum et judicaverat eam esse damnandam. Nomina magistrorum referunt ipsae litterae. Quae pertinent ad nationem germanicam sunt Francisci de Busleiden, Jacobi Houck, Johannis Scriptoris et Nicolai Tinctoris. Rex statuebat doctrinas Alberti Magni, ancti Thomae Aquinatis, Aegidii Romani, Alexandri Halensis, Johannis Scoti et sancti Bonaventurae solum esse tenendas. Ex altera parte prohibitae erant doctrinae Guillelmi Ockham, Johannis de Mirecourt, Buridani, Gregorii de Arimino, Petri de Alliaco, Marsilii de Inghen, Adami Dorp et Alberti de Saxonia. Quibus parere noluissent exilium perpetuum indicebatur. Universitas paruit et, initio anni sequentis, R. Gaguinus ad Fichetum scribebat codices prohibitos esse ligatos:* « Sic indomitos leones et beluas vinclis cohibemus et carcere » (L. THUASNE, R. Gaguini epistolae, I, p. 249).

2. *Ms.* apporterentur.

nus rector, decani et procuratores primo, deinde singuli omnium facultatum doctores jurarent non docere illorum doctrinam. Que omnia in litteris regiis continebantur. Quantum ad hunc, habuit Alamanorum natio ingentes domino nostro regi gratias de suarum litterarum communicatione et dominis presidentibus de penis pro bono Universitatis assumptis. Parata enim est obedire regie majestati et dominis presidentibus, videlicet quod illa doctrina amplius publice nec occulte dogmatisetur. Placuit etiam dare de quolibet doctore unum librum qui viris in utraque doctrina expertis examinetur. Placuit insuper pro juramento recipiendo quod fiet alia congregatio ut maturius quoniam res ardua deliberare possint. 2us articulus fuit super rectoris processione celebranda. Quantum ad hunc, placuit nationi quod celebraretur honeste cum cappis in ecclesia Heremitarum beati Augustini. Diem et horam remisit arbitrio domini rectoris. Tercius fuit communis super supplicationibus et injuriis. Quantum ad hunc, nullus supplicuit.

Acta sunt hec in presenti procuratoria.

F[RANCISCUS] BUSLEYDEN.

Sequitur nomen unius licentiandi in Pascate preterito examinati et vocati necdum licenciati:

Dominus Clemens Ferle, dyocesis Sancti Andree, cujus bursa valet IIII sol. par.

Sequuntur nomina bachalariorum istius anni:

Receptus dominus Henricus Dulcis, dyocesis Augustensis, cujus bursa valet V solidos.

Dom. Jacobus Schrommer, dyoc. Constanciensis, cujus bursa valet V sol.

Dom. Joannes Socius, dyoc. Constanciensis, pauper.

Dom. Henricus Fuchs, dyoc. Constanciensis, cujus bursa valet IIII sol.

Dom. Augustinus Threnger[1], dyoc. Constanciensis, cujus bursa valet IIII sol.

Dom. Guillermus Willenbach, dyoc. Constanciensis, cujus bursa valet IIII sol.

Dom. Bernardus Svartzenburg[2], dyocesis Namburgensis, cujus bursa valet... *(sic)*[3].

Dom. Nicolaus Scriptoris, dyoc. Metensis, cujus bursa valet V sol.

Dom. Guillermus Hindesel[4], dyoc. Brackenensis, cujus bursa valet[5]... *(sic)*.

Dom. Joannes Gaudenhemmer, dyoc. Wormanensis, cujus bursa valet IIII sol.

Dom. Nicolaus Erhart, dyoc. Czyhensis[6], pauper.

Dom. Guillermus Rettran[7], dyoc. Sancti Andree, cujus bursa valet IIII sol.

Dom. Michael de Polonia, dyoc. Gnesnensis, cujus bursa valet IIII sol.

Dom. Robertus Owthtree, dyoc. Glascuensis, cujus bursa valet IIII sol.

Dom. Valentinus Gennenberg[8], dyoc. Lub[i]censis, pauper.

Dom. Andreas Dalman, dyoc. Estetensis, cujus bursa valet IIII sol.

Dom. Joannes Nyeman, dyoc. Misnensis, pauper.

Dom. Hermannus Fresez[9], dyoc. Boeranorgensis, cujus bursa valet... *(sic)*.

F[RANCISCUS] BUSLEYDEN[10].

(Fol. 129b) Electio procuratoris magistri Guillelmi Poes, dyocesis Trajectensis, ex Haga Comitis oriundi, in ducatu Hollandie.

[**Mar. 10.**, NATIO]. — Anno Domini millesimo

1. Liber receptorum, fol. 57 : Tinger.
2. Ibid : Suargenburge.
3. Ibid. : V sol.
4. Corr. : Lindsay.
5. Liber receptorum : VII sol.
6. *Nomen diocesis rectius indicatur in* Libro receptorum, *scil.* Naumburgen.
7. Ibid. : Retre, *forsitan ex loco* Rattray *in Scotia.*
8. Ibid. : Gennenbrech.
9. Ibid. : Wathe, *nec clarius ibi habetur nomen diocesis, quod legitur* Womorgensis.
10. *Ultima vice in his actis occurrit nomen Francisci* de Busleyden, *qui postea clarissimum curriculum vitae habuit. Fuit enim Decretorum doctor. An.* 1483, *Jul.* 24, *jam invenitur canonicus Leodiensis* (Tabul. Vat., Obligat. et Solut. 84A, fol. 136b). *Eodem anno, Jul.* 24, *supplicabat summo pontifici pro minutione annatum quibus tenebatur ratione parrochialium ecclesiarum de* Berchem *et* Oss (Div. Cam. 41, fol. 160b *et apud* U. BERLIÈRE, Inventaire analytique des *Diversa Cameralia*..., p. 262). An. 1485, *Jun.* 19, *provisus est de praepositura ecclesiae Leodiensis per liberam resignationem Johannis Jacobi, Sancti Stephani in Caelio Monte presbyteri cardinalis* (Reg. Later. 842, fol. 51). *An.* 1487, *Jul.* 14, *provisus est de canonicatu et praebenda in eccl. S. Petri extra muros Maguntinen.* (Reg. Vat. 753, fol. 59). *An.* 1483, *Dec.* 31, *ei conceditur reservatio generalis et vocatur praeceptor et consiliarius Philippi, Austriae archiducis et Burgundiae ducis* (Reg. Vat. 744, fol. 27). *An.* 1492, *Aug.* 26, *providetur de canonicatu et praeb. in eccl. de Hogart, dioc. Leodien.* (Reg. Later. 939, fol. 178). *De eo, cf. etiam* Reg. Vat. 879, fol. 14, 1492, Nov. 20). *Assignatur ei quaedam pensio an.* 1497, *Mar.* 27 (Reg. Later. 1093, fol. 239). *Tandem an.* 1499, *promotus ad archiepiscopatum Bisuntinen., cum reservatione omnium beneficiorum* (EUBEL, Hier. cathol., II. 120; *cf. etiam* BURCHARDI Diarium, *ed.* THUASNE, II, 512). *Fuit insuper administrator Caurien.* (EUBEL, ibid., 138). *Obiit an.* 1503. *Cf. insuper,* Lettres de Charles VIII, *ed.* P. PÉLICIER, I (1898), 368. *Amicus erat Ægidii de Delft qui ei dicavit aliquos versus* (É. PICOT, Catalogue de la bibliothèque James de Rothschild, IV).

quadringentesimo septuagesimo 3°, decima die mensis Marcii, preclara Almanorum nacione apud Sanctum Maturinum super duobus articulis sollempniter convocata. Quantum ad primum articulum, parata fuit dicta nacio procedere ad novi procuratoris electionem. Elegitque nacio via Spiritus Sancti magistrum Guillermum Poes in procuratorem nacionis. Quantum ad 2^m^ articulum, habuit nacio dominum antiquum gratum, ratum et avoatum, acta per eum grata, rata et avoata.

G[UILLELMUS] POES[1].

(Fol. 131) **[Mar. 14.,** FACULTAS]. — Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo tercio decima quarta die mensis Martii, preclara Artium facultas super tribus articulis solempniter et per juramentum convocata fuit. Ita ut sequitur per almam Almanorum nationem deliberatum extitit. Quantum ad primum articulum, parata fuit dicta natio supremo domino nostro regi obedire et prestare juramentum conformiter ad nationem Gallicanam. Quantum ad 2^m^ articulum, placuit eidem nationi quod ex qualibet libraria in qua reperiuntur libri istorum doctorum in mandato regio nominatorum extraheretur unum opus ad ponendum in manus domini primi presidentis. Quantum ad 3^m^ articulum, concessit supplicationem domini rectoris in forma. Placuit enim quod ipse dominus rector posset congregare facultatem bis in epdomada super ista materia necessitate urgente. Supplicuerunt enim quidam magistri ut loca quorumdam baccalariorum admitterentur ut temptarentur. Quorum supplicationes fuerunt in forma concesse.

[Mar. 15., UNIVERSITAS]. — Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo tercio, decima 5ta vero die mensis Marcii, preclara Universitas super tribus articulis solempniter et per juramentum apud Sanctum Maturinum convocata fuit. Quorum primus erat de officio librariatus vacante. Quantum ad illum articulum, placuit matri mee eligere unum virum ydoneum qui haberet exercere officium ad utilitatem Universitatis, sed nulli determinato conferebat. 2us articulus erat de modo extrahendi libros illorum doctorum in mandato regio contentorum. Quantum ad illum articulum, placuit dicte nacioni quod de quolibet doctore unum opus extraheretur et ad hoc dicta natio deputavit magistrum nostrum magistrum Johannem de Tongues, qui haberet ire coram domino primo presidenti[2] cum aliis deputatis et ponere in manus suas ista opera istorum doctorum in mandato regio nominatorum. 3us erat communis super supplicationibus et injuriis. Supplicuit enim dominus rector pro litteris recommendatoriis mittendis apud regiam majestatem. Insuper suplicuit ut Universitas dignaretur dare unum proponentem qui haberet proponere coram duce Bourbonie. Eciam suplicuit noster magister magister Berengarius Mercatoris de quadam cappellania de Savosia[3], quam relinquere voluit, si Universitati placeret. Supplicuit insuper dominus rector ut haberet unum proponentem qui eleganter proponeret[4] coram domino nostro cancellario Francie ut privilegia nostra manutenerentur propter aliquos suplicantes qui cotidie ex muris Parisiensibus extrahuntur. Et ad hoc deputavit dicta natio in proponentem magistrum nostrum magistrum Berengarium Mercatoris vel magistrum nostrum magistrum Matheum Sauquet. Eciam suplicuit magister Jacobus Houck ex parte aliquorum in Universitate studencium ut placeret proponenti facere mencionem coram domino cancellario Francie de salvo conductu[5]. Quorum supplicationes fuerunt admisse in forma, preter ultima que fuit solum admissa in facultate.

[Mar. 21., UNIVERSITAS]. — Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo tercio, vicesima prima vero die mensis Marcii, fuit preclara Universitas super tribus articulis apud Sanctum Maturinum per juramentum solempniter convocata. Primus erat de diligencia facta in extractione librorum istorum doctorum in mandato regio nominatorum et super auditione propositionis facte a magistro nostro magistro Berengario Mercatoris

1. *Fol. 130 deest.*

2. Johannes Le Boulanger *vel* Bollengier *receptus an.* 1471, *Dec.* 8, *qui obiit an.* 1482, *Feb.* 24 (*Cf.* L'HERMITE-SOULIERS *et* BLANCHARD, Les éloges de tous les premiers présidents du Parlement de Paris, Paris, 1645, in-fol., p. 45; Mem. fac. Dec., II, 269 *et* n. 1, 324 *et* n. 3, *ubi de familia ejus. Johanni Le Boulanger successit Johannes de Vaccaria* (*Cf.* A. CAVROIS, Jean de la Vacquerie, Arras, 1872, in-8°; F. BRASSART, Le lieu de naissance du premier président La Vacquerie et son rôle politique à Arras, *in* Mémoires de la Soc. Acad. de Douai, 3e série, t. I, 1885, p. 269). *Anno* 1479, *Michael filius Johannis Le Boulanger obtinuit ad vitam domum quae habebat intersignium* Sancti Michaelis, *de qua* passim *in* Auctario (*Cf.* Bibl. nat., ms. lat. 5494 A, fol. 77^b^).

3. *Gallice* de Savoisy. *Exstat epistola Ludovici XI ad Universitatem data Silvanecti* 1474, *Mai.* 28, *in qua rex jubet Universitati ut recipiat* 1000 *lib. par. ad redimendum reditum annuum solutum sibi a Philippo de Savosiaco, domino de Seignelay* (Arch. nat., M 67^a^, n° 6 *et in* Lettres de Louis XI, *ed.* VAESEN, X, 358-359). *Cf. insuper de capellania Savosiana*, BUL., VI, 47 *et* Car. JOURDAIN, Index, *sub verbo* Charles de Savoisy.

4. *Ms.* eleganter proponere proponeret.

5. *Ms.* conducto.

Misea

In primis ipso die Mathei pro distribucionibus magistrorum et bedellorum, viij lib. iiij sol.

Item pro procuratore nacionis, xxiiij sol.

Item bedellis de resta antiqui receptoris, viij sol.

Item in exequiis cujusdam defuncti, ij lib. xiij sol.

Item in electione[1] magistri Ade Lockhart in procuratorem, iiij sol.

Item in continuacione[2] ejusdem, iiij sol.

Item in crastino Commemoracionis Omnium Animarum in missa Universitatis in Maturinis pro distribucionibus procuratoris, receptoris, regencium et bedellorum, xij sol. iiij den.

Item pro cappa domini rectoris magistri Nicholai Bucy[3], ij lib.

Item in processionibus rectoris, magistri Jacoby Houk, viij sol.

Item in vigiliis Sarbonicis pro distribucionibus procuratoris, receptoris, regencium et bedellorum, xij sol. iiij den.

Item ipso die sequente in missa Universitatis pro distribucionibus, xij sol. iiij den.

Item pro disposicione festi beati Edmundi primo pro mundacione candellabrorum, viij den.

Item pro straminibus ejusdem festi, ij sol.

Item pro preparacione altaris, iiij bl.

Item pro serto, ij bl.

Item pro mundacione ecclesie, iij bl.

Item pro lotrice, iiij bl.

Item pro prandio et officio celebrato per dominum curatum, j lib.

Item pro cantoribus, j lib. ij sol.

Item pro organista, ij sol.

Item pro cereis et tedis, ij lib. viij sol.

Item pro distribucionibus procuratoris, receptoris, curati, omnium magistrorum, bedellorum et serviencium in vesperis et in missa beati Edmundi, ij ib. xiij sol.

Item pro offertorio, iij sol. vj den.

Item pro distribucionibus procuratoris, receptoris, magistrorum et bedellorum loco prandii, vij lib. xvj sol.

Item pro distribucionibus procuratoris, receptoris, bedellorum et serviencium tam in vesperis quam in missa in festo beate Katerine, ij lib. xiij sol.

Item pro offertorio, iij sol. ij den.

Item pro organista, ij sol.

Summa hujus pagine se extendit ad triginta v lib. xvij sol. et iiij den.

(Fol. 56 verso) Item in crastino beate Katerine in missa Universitatis, xij sol. iiij den.

Item in crastino sancti Andree pro distribucionibus procuratoris, receptoris, magistrorum et bedellorum, ij lib. xj sol.

Item pro offertorio, iij sol. ij den.

Item in festo beati Nicholai pro distribucionibus procuratoris, receptoris, bedellorum et serviencium in missa et in vesperis, ij lib. xij [sol.]

Item pro offertorio, iij sol. ix den.

Item pro organista, ij sol.

Item in crastino Nicholai pro distribucionibus in missa Universitatis, xij sol. iiij den.

Item in festo Conceptionis Beate Marie pro distribucionibus procuratoris, receptoris, magistrorum, bedellorum et serviencium in vesperis et missa, ij lib. xij [sol.]

Item pro offertorio, iij sol. vj den.

Item pro organista, ij sol.

Item in electione[4] magistri Alberti in procuratorem, iiij sol.

Item in continuacione[5] ejusdem, iiij sol.

Item pro cappa domini rectoris[6], ij lib.

Item in processionibus ejusdem, viij sol.

Item in processionibus magistri Nicholai Bucy, viij sol.

Item in recepcione respondentis pro receptore, ij sol.

Item in electione et continuacione[7] magistri Fransisci in procuratorem, viij sol.

Item pro prandio temptatorum baccalariorum, iij lib. xv sol.

Item in festo Purificacionis pro distribucionibus procuratoris, receptoris, magistrorum, bedellorum et serviencium in vesperis et missa, ij lib. xv sol.

1. 1473, Sept. 23 (*Auct.* III, 246, 4).
2. 1473, Oct. 21 (*ibid.*, 250, 11).
3. Nicolaus Brochi, mag. Art., 1473, Oct. 11 rector (*ibid.*, 249, 5), in coll. Forteti degens (*ibid.*, 249, 19).

Nicolaus quidam de Bussy de Parisius, mag. Art. et bacc. Decr. 1473, Nov. 26 tertium librum Decret. pro tertio anno incepit (*Mém. Fac. Déc.* II, 221); pro quarto anno 1474, Oct. 21 (*ibid.*, 232); pro quinto anno 1475, Oct. 11 (*ibid.*, 235); 1490 et 1492 advocatus in Parlamento (*ibid.*, n. 5).

4. Sc. Albertus Quartyr, 1473, Nov. 18 (*Auct.* III, 251, 4).
5. 1473, Dec. 16 (*ibid.*, 254, 27).
6. Sc. Johannes Fanouche, rector 1473, Dec. 16 (*ibid.*, 255, 4; Bulaeus V, 922).
7. Sc. Franciscus de Busleyden, 1474, Jan. 13 electus (*Auct.* III, 256, 28); Feb. 10 continuatus (*ibid.*, 260, 18).

Item pro offertorio, iiij sol. iiij den.

Item pro organista, ij sol.

Item pro cereis et candelis, libra cere vendita xiiij albis, vij lib. xviij sol. viij den.

Item in crastino Purificacionis pro distribucionibus in missa Universitatis, xij sol. iiij den.

Item pro distribucionibus procuratoris, receptoris, magistrorum, bedellorum et serviencium tam in vesperis quam in missa in festo Annunciacionis Marie, ij lib. x sol.

Item pro offertorio, iij sol. viij den.

Item pro organista, ij sol.

Item in electione et continuacione[1] magistri Guillelmi Hagis in procuratorem, viij sol.

Item Goeswino bedello majori pro uno incipiente, vij sol.

Item Herico minori bedello pro eodem, iij sol. vj den.

Item Goeswino pro duobus receptis, ix sol.

Item Herico pro eisdem, iiij sol. vj den.

(Fol. 57 recto) Item Goeswino pro uno licenciato, iiij sol.

Item Herico pro eodem, ij sol.

Item domino Goeswino pro bursis vigenti baccalariorum, iiij lib. iiij sol.

Item domino Herico pro eisdem, ij lib. ij sol.

Item domino Goeswino pro servicio suo ebdomodali, xiij sol. 6 den.

Item Herico pro suo servicio ebdomodali, xiij sol. 6 den.

Item pro sallario receptoris, iiij lib.

Item cappellano nacionis nostre pro missis ebdomodalibus extra magnas missas, xiiij sol.

Summa hujus et alterius lateris : xxxxv lib. xvj sol. vj den.

Recepta

In primis recepi a domino antiquo receptore ij libras xvj sol. viij den.

Sequuntur duo nomina baccalariorum receptorum

Dominus Mathias Cadonis[2], diocesis [Pragensis], cujus bursa valet iiij^or sol., ij lib. x sol.

Dominus Henricus Dulcis, diocesis [Augustensis], cujus bursa valet v sol., ij lib. xv sol.

Sequitur nomen unius incipientis

Dominus Richardus Murhed, diocesis Candide Case, cujus bursa valet vij sol., j lib. xv sol.

Idem pro cappa domini rectoris, ij lib.

Sequitur nomen unius licenciati

Dominus Clemens Ferle, diocesis Sancti Andree, bursa valet iiij^or sol., j lib.

Sequuntur nomina baccalariorum istius anni[3]

Johannes Gandenhemmar, diocesis Wormacensis, cujus bursa valet iiij sol., ij lib. x sol.

Nicholaus Scriptoris[4], diocesis Metensis, cujus bursa valet vj sol., iij lib. x sol.

Andreas Dalman, diocesis [Eystettensis][5], cujus bursa valet iiij sol., ij lib. x sol.

Guillelmus Retre[6], diocesis Sancti Andree, cujus bursa valet iiij sol., ij lib. x sol.

Robertus Owthre, diocesis Sancti Andree[7], cujus bursa iiij sol., ij lib. x sol.

Augustinus Tingner, diocesis Constanciensis, cujus bursa iiij sol., ij lib. x sol.

Barnardus [?] Svargenburge, diocesis Naumburgensis, cujus bursa v sol., ij lib. xv sol.

Henricus Fuch[8], diocesis Constanciensis, cujus bursa valet iiij sol., ij lib. x sol.

1. Sc. Guillelmus Poes, Haga oriundus, 1474, Mar. 10 (*ibid.*, 263, 7); Apr. 7 continuatus (*ibid.*, 267, 38).

2. Mathias quidem Pellificis de Cadano [*Kadaň*], 1467 intit. in natione Polon. Lipsiae (Erler, *Matr. Leipzig*, I, 263); 1471 intit. Basiliae, 1472 bacc. via ant. sub nomine Mathei Kadona (Wackernagel, *Matr. Basel*, I, 95).

1473, Oct. Matheus Schonhofer, bacc. receptus Paris. (*Auct.* III, 249, 31); 1474 lic. et mag. Art. (*ibid.*, 271, 36; 284, 36); proc. 1475 (*ibid.*, 827; 296, 3-4 se subscripsit « de Pulcra Curia »); Jul. 18 mag. regens (*ibid.*, 306, 24-26); 1478, Mar. 2 pro quodam jure suo conservando supplicavit (*ibid.*, 384, 10-15); eodem anno Maii 26 intit. Ingolstadt. Pölnitz, *Matr. Ingolstadt*, I, 83); 1490 intit. Friburg. (Mayer, *Matr. Freiburg*, I, 99).

3. Cf. *Auct.* III, 261, 31-262, 29.

4. Nicolaus quidam Scriptoris de Bitzsch (Bitit [*Bitche*]), d. Metensis, 1485 intit. Heidelberg. (Toepke, *Matr. Heidelberg*, I, 378); 1488 lic. ibid. (*ibid.*, II, 417).

5. *Auct.* III, 262, 25.

6. Rectius Rettray.

7. In *Libro proc.* d. Glasguen. refertur (*Auct.* III, 262, 21).

8. Lic. « Henricus Vulpis » vocatur in *Libro proc.* (*ibid.*, 297, 41); mag. « Henricus Whais » (*ibid.*, 300, 8).

Jacobus Schenner, diocesis Constanciensis, cujus bursa v sol., ij lib. xv sol.

Dominus Guillelmus Lindesay, cujus bursa vij sol., iij lib. xv sol.

(Fol. 57 verso) Guillelmus Willenbacher, diocesis Constanciensis, cujus bursa x sol. xxvj, alias nichil [1].

Johannes Socius, diocesis Constanciensis, cujus bursa valet [2] nichil.

Michael de Polonia [3], diocesis Gnesnensis, cujus bursa valet iiij sol.

Hermannus Wache [4], diocesis Womorgensis, cujus bursa nichil.

Johannes Newmann [5], diocesis Misnensis, cujus bursa valet nichil.

Valentinus Gemmenbrech, diocesis Lubicensis, cujus bursa valet nichil.

Nicholaus Stach, diocesis [Wratislaviensis], cujus bursa valet nichil.

Nicholaus Erhert, diocesis Naumburgensis, cujus bursa valet nichil.

Mathias Hendelang, diocesis Augustensis, iiij sol., ij lib. x sol.

Jacobus Petri, diocesis Treverensis, iiij sol., ij lib. x sol.

Summa recepte : quinquaginta quinque libre, xix sol. paris., viij den. paris.

Comparata misia ad receptam, misia excedit. receptam in viginti quinque lib. xv sol. ij den. paris.

Ita est, teste meo signeto manuali hic apposito.

[JOHANNES] QUHITFURDE
[*sign. man.*]

(Fol. 58 recto) Misia post primum compotum [6]

In primis pro resta receptoris de primo compoto, xxix lib. demptis iiij den.

Item pro primo compotu pro distribucionibus magistrorum et bedellorum, vj lib. viij sol.

Item pro procuratore pro eodem compoto, xxiiij sol.

Item pro pitenciario et priore Sancte Genovefe, xxij sol. vj den.

Item pro cappa domini rectoris curati Sancti Civerini [7], xxij sol.

Item in electione [8] magistri Adriani Hagis, iiij sol.

Item in continuacione [9] ejusdem, iiij sol.

Item pro cappa rectoris [10] magistri Johannis Scriptoris, xxij sol.

Item domino Gosfino majori bedello pro xiij lecenciatis [*sic*], iij lib. xij sol.

Item Erico minori bedello pro eisdem, xxxvj sol.

Item Gosfino majori bedello pro bursis xj incipientium, iij lib. ij sol.

Item Henrico minori bedello pro eisdem, xxxj sol.

Item domino Gosfino pro missis ebdomidalibus, xiij sol. vj den.

Item Henrico pro eisdem, xiij sol. vj den [11].

Item pro capellano gallico ecclesie Sancti Cosme et Damiani, xxiiij sol.

Item clerico ejusdem, xxij sol.

Item in processionibus rectoris, videlicet curati Sancti Severini, ij sol. viij den.

Item in processionibus rectoris magistri Johannis Scriptoris pro procuratore, receptore, bedello, Houk et Irlandia et Erico, vj sol. viij den.

Item pro capellano nacionis nostre, videlicet magistro Teudrico pro toto anno, v lib. vj sol.

Item festo beati Nicholai in vesperis pro servitoribus in ecclesia et procuratore, receptore, magistris et bedellis, vj sol. ij alb.

Item in missa ejusdem festi, xiij sol. ij b[l].

Item pro offertorio, iiij alb.

Item in vesperis in festo Visitacionis pro servitoribus in ecclesia et pro procuratore, receptore, magistris et bedellis, iiij sol.

Item in missa ejusdem festi, xiiij sol.

Item pro offertorio, iiij alb.

1. Sequuntur verba : « Guillelmus Lindesay, d. S. Andree, cujus bursa vij sol. »; cancellata sunt, annot. « invenitur in altero latere » marg. sinist. apposita.

2. Summa bursae « xvj » hic et post nomina sex baccalariorum sequentium cancellata est.

3. Michael Thuarog de Bestrikow [*Bystrzyków*], lic. et mag. Art. 1475 (*Auct.* III, 298, 1; 310, 6); 1477 proc. (*ibid.*, 827); 1478, Maii 14 intit. Ingolstadt. (PÖLNITZ, *Matr. Ingolstadt*, I, 82); 1485, Jun. 20 « respondit pro loco inter Magistros Academiae Cracovien. » (*Liber prom. univ. Cracov.*, 93 et annot.); postea Paris. reversus, mag. Theol. accepit (*ibid.*).

1488 mag. et senior bursae Jerusalem Cracoviae; 1494 collegiatus collegii minoris; 1496-1500 pluries proc. univ.; 1507 « doctor Theol. » vocatur; 1509 prof. Theol., canon. eccl. S. Floriani; 1513-1514 rector (W. WISTOCKI, *Acta Rectoralia Almae Universitatis Studii Cracoviensis*, Cracoviae, 1897 [abbr. *Acta Rect. Univ. Cracov.*], indice I, 1079-1080).

4. In *Libro proc.* : « Hermannus Fresez, dyoc. Boeranorgensis (*Auct.* III, 262, 28).

5. Johannes Neumann de Penczigk [*Penzig*] (*ibid.*, 349, 8); lic. et mag. Art. 1475 (*ibid.*, 298, 3; 310, 5); 1476 magister domus Alemanorum (*ibid.*, 341, 10); 1477 proc. (*ibid.*, 827).

6. 1474, Apr. 12/16 factum (*Auct.* III, 269, 24).

7. Sc. Dionysius de Sabrevois (de nominis orthographia vide *Auct.* II, 517, n. 2), 1474, Mar. 24 rector, « in Theologia baccalarius » (*Auct.* III, 265, 37; BULAEUS V, 922); nepos Dionysii Sabrevois, curati quoque S. Severini, decani fac. Theol., de quo vide *Auct.* II, passim et forsitan *Auct.* III, 224, 16.

8. 1474, Maii 5 (*Auct.* III, 272, 27).

9. 1474, Jun. 2 (*ibid.*, 274, 36).

10. Johannes Scriptoris, rector 1474, Jun. 23 (*ibid.*, 276, 50).

11. Marg. dext. : « lij lib. xv sol. ».